

NUMMVS TRIVMPHALIS

HENRICI NAVARRÆ REGIS, VI-
ctoriâ de Ioicufio, Duce Exercitus Ligæ, partâ:
cusufus, Anno Christi 1587.

S Antæ Ligæ Pontificiæ duo summa erant capita: prius, Religionem unicam eamque Chatholicam conservandam, contraque omnes hæreses strenuè defendendam: alterum, neminem è Principibus, quamvis sanguine proximorum, nisi Catholicus fuerit, ad regni successionem admittendum esse. His similibusque rationibus moti Principes Catholici, totis viribus contendebant, eoque studia sua omnia dirigebant, ut caverent, ne Navarræus, sed Carolus Borbonius eius patruus, ad regni gubernacula perveniret. Edicuntur huius rei comitia: in quibus articuli fœderis renovantur; & Carolus Borbonius Cardinalis primarius fœderis princeps; Lotharingus eius Vicarius; Dux Guisus Imperator exercitus; Nemourius junior Magister equitum levis armaturæ: Dux Moenius equitum Præfectus, & Biornius Marefcallus declaratur. Navarræus sibi vim & iniuriam factum iri arbitratus, vicissim necessariam sui defensionem suscipit, & permissu Reginæ Angliæ; Principumque Germaniæ quorundam Protestantium; in ditione eorum aliquot equitum turmas colligit. Quæ in Alsatia eodem mense Julio ad diribitionem & reliquum exercitum Helveticum magnis itineribus contendunt, pluresq; ibi hebdomadas commorantes, direptionibus, incendijs, ac cædibus grassantur. Tandem iter ingrediuntur, viamque sibi per Lotharingiam vi & virtute sua aperiunt. Occurrit illis ad Mossellam hostis Guisus, remoram eis, ne cum Navarræo coniungantur, iniecturus. Nuntio ad Navarræum delato, confestim, desiderio excipiendi copias flagrans, advolat, & in itinere cum Duce Joicufio vestigijs suis à tergo semper insistentre, seque ad prælium provocante, decimo Octobr. ad Contrasium dimicat, Victoria penes Navarræum fuit, Ioicufio pereunte, & cum eo Claudio Fratre: multis Gallorum Principibus: gregariorum numero haud